

afficiant. Quis enim nomini vestro adeo sit inimicus, qui vos tantis ornamentis et presidiis vitę istius spoliare, tanto antiquissimę ingenuitatis fructu velit privare? Veruntamen nescio quonam modo dilectio, si vera et sincera aliquem sibi vendicavit, nichil in eo preter ipsum diligit, eo presente maximo bono se frui arbitratur, absente desiderio et expectatione eius^a tabescit, cętera vitę huius, que commoda putantur, contempnit omnino ac despicit, dum illo potiatur, quem diligit. Unde vos ut mature redeatis^b me non tantum velle, sed etiam cupere arbitramini. Dico nefas, dico sacrilegium, veruntamen dico: vellem vos, si fieri posset, accisis tantis opibus¹ in angustiorum personam includi, non ut vos essetis inde tenuiores, sed ut nobis^c frequentiores. Neque me enim iuvat paupertas vestra, sed presentia. Quam ut nobis exhibeatis, cum primum res tempusque patiatur, oro obsecro obtestor. Stipendium nostrum certe, ut verum fatear, cura et diligentia domni illius² optime administratur. Querulas etiam linguas et insana illa murmura ille oppressit et compescuit.

12.

M(einhard) an G(iticlin?): übersendet auf Wunsch sein grammatisches Werk, wenn auch sehr erstaunt über ein solches Verlangen, bestellt einen Gruß an Liemar und bittet um Rückkehr Hezilos. (1063 etwa März—April.)

Cod. Paris. lat. 2903 fol. 49'.

Electo fratri G. M. salutem in Christo.

Si bene valetis et omnia erga vos prospere aguntur, Deo gratias, michi certe id perquam gratum est. Quod tam cupide, tam magnifice in laudes nostras insurgitis, aliud non intelligo nisi vos valde gratum hominem agere. Unum erat in litteris vestris, quod me plane attonitum reddidit, videlicet quod regulas grammatice ita studio flagitatis. Nam quid homo parat, quid sibi vult? Numquid^a nam repuerescere conatur? Numquid^a nam

11. ^a) *korrr. aus eis c.* ^b) *folgt quantum getilgt c.* ^c) *korrr. in nobiscum (statt vobiscum?) essemus c.*

12. ^a) *Num quin c.*

¹) *Vgl. Horaz, Sat. 2, 2, 113.* ²) *Hier scheint ursprünglich ein Name gestanden zu haben; gemeint ist wohl der Propst Hermann oder der Dekan Poppo.*